UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria V. post Dom. IV. Quadragesimæ. 26. Mortis memoria ad peccata declinanda valde efficax est. 2. Quænam sit in morte bonorum & malorum differentia.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

mas quaſdā accendere furoris, quo in ſemetipſam obarmata diverſas quaſi è membris turmas conſtituit, ac tum demum fulmina ab oculis emittit, pilos ſibi evellit, voce rugit, fremit dentibus, frontem contorquet, uncis minatur unguibus ſuis, ac tandem nullam aliam invenire belluam valens in quam furiam, rabiem, & arma ſua exſerere poſſit, in ſemetipſam totam ſuam crudelitatem convertit, dentibuſq; ſuis, quos in lapide rabiei & furoris ſui in alios exacuerat, ſibimetipſi exitium infert, propriam ſibi declarando pellem, ſuaſq; demum carnes horrendum in modum immaniter devorādo. Unde Plutarchus: *Tigrides ſi quis tympanis circumſonat, in rabiem agi dicuntur, adeò ut ſeipſas deniq; diſcerpant.* O infelix animal! verumenimverò quid non huic ſimile invidus facit? nunquid ſtructas aliis inſidias, ſibimetipſi machinatas fuiſſe tandem experitur? ac proinde *peccator videbit*, ſed *ad ſuam pœnam*; *& iraſcetur*, ſed *contra ſeipſum*, explicat Athanaſius: *Dentibus ſuis fremet*; ſed cui nocebit? nulli præterquā ſibimetipſi, ſed *non nocet niſi ſibi*, aſſerit Hugo; ac tandem: *Tabeſcet in ſe, non potens aliis nocere*, inquit idemmet Hugo; Et quia omnia illius deſideria armata ſunt ad inferenda damna, & charitatē extinguendam: *Deſiderium peccatorum peribit*, id eſt, *non poterunt implere quod deſiderant, & inde cruciabuntur in ſeipſis.* Proficiat igitur vobis, ó invidi, lucrum veſtrum, nolo illud invidere vobis, vos ipſi veſtra fruamini invidia: *Impii verò & invidi homines juſtorum exaltationem videntes, ira & invidia cruciabuntur ſuper felicitate aliena, adeò ut dentibus præ iracundia frendeant, atque in ſeſe propter invidiam velut conſumantur, liqueſiant, areſcant, atque tabeſiant.* Sunt verba Titelmanni in Pſ. 111. n. 9. Dixerunt porrò nōnulli invidiam jam ætate confectam edentulam eſſe, quod ſi ita eſt, & tamen adeò immaniter ſæviat, cogitare facile poteſt, quid factura eſſet ſi dentibus eſſet acutis prædita. Quapropter ultimo loco ſalutare illud Gregorii monitum diligenter vobis commendatum habete, quod hiſce verbis ſuggerit: *Admonendi ſunt invidi, ut cognoſcant quantis lapſibus ſuccreſcentis ruina ſubjaceant, quia dum livorem à corde non projiciunt, ad apertas operum nequitias devolvuntur.* Nec eſt quod quis mihi hic replicet, nullos inter vos invidos eſſe, ſiquidem os vobis obſtruere per illam Salviani ſententiam potero, dicentis: *Quis eſt, cujus non ſenſum livor invaſit?* Profectò, ſi omnes invidi monoculi eſſent, omnes Cyclopes futuri eſſemus; aut ſi invidia febris quædam eſſet, univerſum mundum graviter febricitantem dicere auderem:

*Plutarch.* — *Greg. 3. p. cura paſt. adm. 11.* — *Salv. lib. 5.*

# SERMO XXVII.

## IN FERIAM QUINTAM. DOMINICÆ QVARTÆ QUADRAGESIMÆ.

*Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Luc. cap. 7.

1\. NUlla excogitari poteſt actio chriſtiano homini convenientior, utilior & dignior illo, quam bene mori: *Summum hominis bonum, bonus ex hac vita exitus*, ita dicere ſolebat Fridericus Pulcher! vel *Morte beata nihil beatius.* Sanctus quoque Joannes dicit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. Hic etenim moriendi modus: mori quoddā abſq; eo quod quis mortis pertranſeat amaritudines, & ut ſcribit S. Bernardus: Bona mors vitā non adimit, ſed ad vitā glorioſā & immortalē nos introducit: *Quæ vitā non aufert ſed transfert in melius.* Quis autem eſt qui neſciat bene mori à vitæ integritate dependere? Impoſſibile etenim eſt, ut quis moriens magnam tritici meſſem colligat, ſi vivens tribulos, ſpinas & zizania tantùm ſeminavit, cum veritas ſit frequenti experientia comprobata, quod qui beſtialiter vivit, chriſtianè mori non poſſit: *Qualis vita mors eſt ita.* Et S. P. noſter Auguſt. ait: *Vix bene moritur is, qui male vixerit.* Econtra verò ſanctè vivere beatæ cujuſdam ſecuturæ mortis pignus eſt & argumentū: *Neq; enim mors mala putanda eſt* (inquit idē ille magnus Eccleſiæ Doct.) quā bona vita præceſſerit. Et ſi Wolfiano fidē habemus:

*Vna eſt vivendi ac moriendi regula recta:*

*Vt moriare pius, vivere diſce piè.*

Qua enim ratione quis ſibimetipſi pro-

*Fridericus Pulcher ap. Reuſn. 3. p. Symb. 30.* — *Auguſt. de doctrina Chriſti* — *Ibidem* — *VVolfin. ap. Reuſn. 3. p. Symb. 30.*

bimetipſi prognoſticare poterit mortē, quæ ſerenitatē ei adferat felicitatis ſi talis inter culparum denſas tenebras dies ſuos inutiliter conſumpſeri? Quo motivo à morte ſperare audes, ô peccator, ſpiritus libertatē ſi catenis peccatorū vinctus, velut mancipium in Sathanæ manibus conſtitutum vivis? Dices fortaſſe mihi, Dæmon fortiter nimis te tentare, humanamque fragilitatem ad malum facilem & ſenſum ad diſſolutiones penitus inclinatum eſſe: Neque in hoc quicquam contradico, veruntamen ſciendum eſt tibi, quod ſi cogitationes tuas ſuper punctum mortis firmares, tibique frequenter hæc verba ingeminares: Moriendum eſt mihi infallibiliter, certiſſimè mihi perſuadeo futurum tunc eſſe quod à culpis utique abſtineres, neque adeò facilis & proclivis ad peccandum futurus eſſes, hæc enim ſunt horrendæ & æternæ cujuſdam mortis infallibilis & fatalis horoſcopus: *Motus imminentis mortis neceſſario mentem concutit, & quaſi clavus carnis omnes motus ſuperbia ligno Crucis affigit, nec quidquam ſic revocat homines à peccato, quam frequens mortis meditatio.* Et revera quod ſi mortem tibi ſemper ob occulos haberes propoſitam, conſiderando certò certius, & fortè opinione tua citius tibi moriendum eſſe, verum utique ad abſtinendum à peccatis medium apprehenderes, nec non ad ducendum vitam felicem, aſſequendamque beatam mortem viam tibi regiam ſterneres; Et hoc fine exiſtimo Senecam hoc nobis monitum reliquiſſe, quo dicit: *Quicquid facies reſpice ad mortem*, hæc enim eſt adverſus venenum peccati lethiferum veriſſimū & ſaluberrimum electuarium; unde Syracides ait: *Memor ſis, ô homo, finis tui, & nunquam peccabis.* Culpa peccati veluti peſſima Medea, aut venefica Circe bolos ſuos in perniciem animæ tuæ præparat, qui tamen eandem intoxicare aut contaminare minimè poterunt, ſi memoriam ſemper per mortis mithridaticum præparatam cuſtodieris: Hæc ad inſtar Perſei animam noſtram veluti novellam quandam Andromedem à peccati monſtro liberat. Moderentur itaque Naubolus & Myrtilus Phaeton & Menno ad præcipitem velociſſimorum equorum curſum reprimendum fræna & lora ſua prouti placuerit, certum tamen eſt, quod ad cohibendum impetum effrænis ſenſualitatis noſtræ, de qua dicitur, quod *ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 6. nullum ſit convenientius & efficacius frænum ipſa morte: *Mors utilis* (dicebat S. Cyprianus) *eſt fidelibus Dei hominibus, quoniam peccandi periculis eos ſubtrahit & in ſecuritatem non peccandi amplius eos dem conſtituit.* Quod conforme illi monito Eccleſiaſtici, qui ſapientiſſimè nos hortatur: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua.* Eccleſ, 7 (vel cum S Hieronymo) *Memorare mortis tuæ & in æternum non peccabis.* Ecquamnam exiſtimatis cauſam eſſe, quod ſancta mater Eccleſia hoc mane nobis in feretro quodam jacentem proponat mortuum viduæ Evangelicæ filium: *Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ*; niſi ut nobis potentiſſimum & efficaciſſimum quod adverſus malignitatem peccati adhiberi poſſit oſtendat auxilium & remedium. Id quod vobis in præſenti diſcurſu fuſius demonſtrare conabor, ut ad ſanctè moriendum per bonam vitam vos debitè diſponere valeatis. Ex quo autem mortuus hic Naimiticus ad hoc ut ſe verè vivere demonſtraret, loqui confeſtim cœpit: *Reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui:* vos qui vivi eſtis, ad hoc ut vos ſi non mortuos, ſaltem mortificatos & modeſtos eſſe probetis, incipite tacere, cum attentione me auſcultando, dum ego quàm poſſum breviſſime diſcurro.

D. Auguſtin. lib. 2. de doctrina Chriſti.

Seneca Epiſt. 25.

Ioan. Raviſ. tom, fol. 311.

2. *Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Theriaca ex venenis præparatur, & tamen adverſus eadem venena remedium eſt efficaciſſimum. Nunquid videtis mortem ſuam à peccato trahere originem: *Per peccatum mors*, dicebat Apoſtolus Rom. 5. & S. Jacobus: *Peccatum cùm conſummatum fuerit generat mortem.* Jacobi 5. & tamen poſtea facta eſt adverſus idem peccatum potentiſſimum electuarium. Oleum quoque ſcorpionis optimum eſt ad curandos venenoſi hujus animalis noxios morſus remedium: Diſcite idipſum non jam ex Aphoriſmis, ſed ex Antologiis cujuſdam moderni Hippocratis, curatoris & medici non jam infirmitatum corporalium, ſed indiſpoſitionum animæ, quæ ita canit:

*An cupis adverſus ſcelerum fœdiſſima quæque*
*Vulnera perfacilem dem tibi promptus opem?*
*Cùm te turpe aliquid tentat, fac illico mentis*
*Seſe mors oculis offerat atra tuis*
*Quiſquis enim horrendum Chriſti cum morte tribunal.*
*Cogitat, hic omnis criminis hoſtis erit.*
*Flante velut valido nubes Aquilone fugantur*
*Sic meditata ſcelus mors procul omne fugat.*

Porrò veritatis hujuſce certitudinem per Scripturarum evidentiam nonnihil matutius ponderemus. Etenim Deus in mundi exordio Adamum & Evam progenitores noſtros in Paradiſo terreſtri curiosè quæſivit, eaſque ſemitas in quibus florum elegantiæ auras, ut Veris deliciis in

ſuis

ſuis finibus fruerentur alliciebant, inambulando invenit illos pavidos & tremebundos, & ſub arborum foliis abſconditos, nec audentes in Creatoris ſui conſpectum comparere, ob metum protervitæ reprehenſionis atque ſupplicii. Ad nuditatis ſuæ, quæ verecundiæ ruborem in iis excitabat, tegumentum, ex frondibus ficus veſtes ſibi confecerant: *Con, ſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Gen. 3. Dominus autem expedientius illis eſſe judicabat, ſi exuviis pellis animalis cujuſdam tegerentur: *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Videte hic qualia Deus hoc loco in mente ſua agitaverit conſilia. Quid enim Dei intererat, ſive protoparentes noſtri veſtirentur ex arborum frondibus, ſive ex pellibus animalium? Etenim ſicut illis præcepit ut cibum & victum ſibi conquirerent, ita quoque permittere eis poterat, ut de veſtitu & amictu ſibi proſpicerent: Præterea cum ipſemet Deus voluerit hanc ſibi curam primos homines veſtiendi vendicare, nunquid convenientius fuiſſet, ſi illis veſtem aliquã induiſſet ex lino vel ex lana confectam? pellis enim beſtiarum propria eſt, non verò hominis. Enimverò omninò exiſtimo voluiſſe Deũ ut veſtes hæ pelliceæ protoparentibus noſtris non ſolum tanquam veſtimenta ſervirent, verùm etiam memorialis ſeu monitorii cujuſdam loco eſſent. Audite ergo myſterium. Voluit Deus ut videntes ſuos in haſce pelles tanquam demortuorum animalium exuvias defigentes protoparentes noſtri, mortis ſemper memores eſſent, cogitantes ſe quoque tanquam mortales in mortis poteſtatem redigendos & morituros aliquando eſſe, hæcque tam ſalutaris mortis memoria eis auxilium quoddam adſciſceret, quo confortati nunquam ſe ita facile induci ſinerent ad tranſgrediendum divina præcepta, adeò ut oculus mortis ſymbolum videns, intellectum induceret ad conſiderationem, hæcque demum voluntati veluti frænum quoddam deſerviret, quo impediretur quo minus peccata patraret: *Et hoc ſignificationis gratia factum eſt,* inquit Rabanus, *Nam hujuſmodi indumento Dominus eos mortales jam factos fuiſſe inſinuat: Pelles quæ non niſi mortuis pecudibus ſubtrahuntur, mortui figuram continent.* Verùm dicat aliquis: Nunquid melius fuiſſet ſi Deus potius feciſſet illos mortua videre animalia, abſque eo quod ex talium demortuarum pecudum pellibus eis amictum pararet? Reſpondent Oleaſter & Pater Vega, Deum pellibus eos veſtiſſe, ut mortis memoriam ſecum ſemper & ubique deportarent, ut hac ratione cùm ſemper vicinæ ſint peccatorum occaſiones, remediũ quoque adverſus peccata opportunum haberent ipſam memoriam mortis: *Et ne animis eorum excideret hæc utilis & ſalutaris lectio, ipſemet propria manu inducere voluit eos habitu & memoria mortis, ut quocumq; locorum pergerent, eam ſecum ſemper portarent, ut nunquam aſpectum eorum fugeret.*

Rabanus Maurus lib. 1. in Gen. c. 19.

Didac. Vega in Domin. 15. poſt Pent.

3. Referunt nonnulli Scriptores, præcipuè verò Jacobus Ediſſenus Syrus, & Andreas Maſius, quod Noë arcam ingrediens, in eandem quoque Adami oſſa ſecum attulerit: *Oſſa protoparentis noſtri Adam ſecum aſſumpſit, & in Arca incluſit.* Quo fine hæc oſſa ſecum Arcæ inferebat? nunquid ſatis fuiſſet ſi ſibi de annona victus proſpexiſſet, quæ ſuffeciſſet eouſque donec inundatio diluvii ceſſaret? aut ſi ſecum inſignem quandam argenti, vel auri, aut gemmarum, aut margaritarum aliarumque pretioſarum rerum quas domi ſuæ reconditas habebat, quantitatem Arcæ intuliſſet? Minimè gentium; aliud etenim erat ſancti hujus Patriarchæ judicium, utpote qui omnia alia quantumvis pretioſa poſthabebat, & ab aquis abſorberi permittebat, & ſola Adami oſſa veluti chariora & pretioſiora cuſtodivit & conſervavit. Et quonam id fine eum feciſſe putatis? O inſignem ſancti hujus Patriarchæ prudentiam; Finito etenim diluvio ſingulis filiis ſuis ab Arca egredientibus os aliquod Adami conſignavit nimirum primogenito caput, & ſic conſequenter, ut hæc hujus cadaveris oſſa ſecum deferentes & aſpicientes, in quolibet loco mortis memores eſſent; ſciebat enim hanc memoriam potens quoddam frænum futurum eſſe, quo à lapſu in peccatum efficaciter præſervarentur, quaſi diceret: Mementote hæc oſſa mortis eſſe reliquias, & reſiduum cadaveris noſtri protoparentis. Hic peccavit, eo quod tunc quando ſerpens ei dixit: *Nequaquam moriemini,* mortis imaginem ſibi à memoria ſua abripi permiſerit. Quapropter ſi in gratia Dei noſtri conſtanter perſeverare, & non peccare velitis, oſſa hæc carnibus ſuis dudum denudata conſiderate, & dicite; ſuo quoq; tempore & nobis moriendũ erit, in eundemq; cum hiſce oſſibus ſtatum proculdubio redigemur. Hacque ratione per ſublimatorum memoriæ verum ex hiſce oſſibus elicietis mithridaticum, quo mediante animas veſtras peccati toxico illæſas & incontaminatas conſervare poteritis: Certe hæc fuit intentio Noe, hic animus ejus, ut oſſa Adami in promptu habens, aſſiduè mortis recordaretur, utq; hominũ memoria nunquam excideret: Cùm enim filii ejus in uni-

Iac. Ediſſ. And. Maſ. 1. cap. ult.

verſam terram diſpergendi eſſent, volebat pius pater, ut ſecum mortis reliquias aliquas aſportarent, quaſi annulum in memoriam eorum, quæ Adæ acciderant.

4. Philiſthæi in memorabili quadam Iſraelitis illata ſtrage, inter cætera ſpolia arcam quoque Dei eiſdem abripuerunt, eamque in templum Dagon Idoli ſui, quod in Azoto adorabant, collocarunt, unde Deus graviſſimè indignatus ſuppliciorum pœnarumque ſuarum pondus grave ſuper Azotios mire aggravavit. unde Philiſtæi arcam Dei à ſe procul amovere, & in Accaron reſervare decreverant: *Non maneat Arca Dei Iſrael apud nos, quoniam dura eſt manus ejus ſuper nos: Miſerunt ergo Arcam Dei in Accaron.* 1. Reg. 5. Hi autem Accaronitæ etiam confeſtim per experientiam probarunt, qualia ſint divinæ juſtitiæ flagella: *Fiebat graviſſima valde manus Domini.* Denique divina vindicta omnes omnium Philiſthæarum civitatum incolas per experientiam edocuit, quam ſint ſuppliciorum ſuorum ſeveri rigores: *Fiebat pavor mortis in ſingulis urbibus.* Nunc autem audire vobis libeat, qualenam meditati fuerint ad plagas haſce à ſe avertendas, conſilium. Componamus (ajunt inter ſe) hanc arcam in currum quendam, qui à duabus juvencis trahatur, & quocunque hæ juvencæ currum hunc arca onuſtum protraxerint, ibi ſubſiſtet: Dictum, factum: *Fecerunt ergo illi hoc modo.* Verumenimverò id quod ſacra Scriptura deinceps in eadem hiſtoria refert, valde eſt memorabile; Dicit enim animalia hæc non obſtante, quod procul à ſuis fœtibus dimoverentur, nihilominus ſepoſita omni naturali in fœtus ſuos propenſione arcam Dei directè perduxiſſe per vias regias uſque ad Bethſames, nec declinaſſe ſive à dextris, ſive à ſiniſtris, extra viam publicam gradiendo: Verum quidem eſt; quod ad cœlos uſque pertingentes ediderint mugitus, quibus cordis ſui teſtari volebant anguſtias, quas ab hac ſua à fœtibus ſuis divulſione

Orig. ho. 26. in cap. 25. Num.

patiebantur: *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, itinere uno gradiebantur pergentes & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Porrò Origenes quidem talem hujus rei expoſitionem dare prætendit, quæ cujuslibet menti ſatisfaciat, veruntamen dum ejus reſponſionem conſidero; huic difficultati aliam longe majorem ſuperaddere videtur; Dicit enim mirum non eſſe, quod vaccæ illæ *Ibant in directum & non declinabant, neque ad dextam, neque ad ſiniſtram*; quia dæmon currus illius auriga & dux erat: *Dæmon ducebat eas.* Videte igitur ô Auditores, in quas non vilitates & abjectiones ſeſe Dæmon præcipitet; Ille etenim qui antea nolebat cedere altiſſimo, primatum ſuper eum prætendendo; is inquam nunc eo redigitur, ut in illam ſe actionem demittere non erubeſcat, quam communiter facere ſolent bubulci. O infeliciſſime ſpiritus! Enimverò Joſeph Hebræus hoc loco cauſam inquirit, cur dæmon ad tam abjecti munus ſeſe demiſerit, & ait: Quidnam dæmonis intererat, ut arca hæc Iſraelitis denuò reſtitueretur? Imò hæc arcæ reſtitutio Iſraelitis facienda dæmoni potius præjudicabat; Nunquid enim quamdiu arca Dei in Philiſthæorum poteſtate erat, quotidie tot lucrabatur animas, eorum videlicet, qui ex gente illa Idololatrica moriebantur? An igitur adeò vecors eſt, ut non advertat, quanta ex hac ejus induſtria ſibi adnaſcantur ingentia damna? O male tibi conſulens auriga! Imò verò ò incredibilis aſtutia diabolica. Ita enim peſſimus hic inimicus intra ſemetipſum viſus eſt ratiocinari: Mihi nihil inde commodi vel utilitatis accreſcit, quod arca Dei inter Philiſthæos demoretur, *Fit enim pavor mortis in ſingulis urbibus*; 1. Regum 5. quæ quidem maximum mihi infert præjudicium; ſi enim mortalitas hæc eo quo cœpit pede progrediatur, tandem Philiſthæi Accaronitæ & Azotii, ingentem hanc miſeriam conſiderantes, ſcelerum ſuorum pœnitentia corripientur, & in ſceleribus ſuis ulterius progredi formidabunt. Ecce tibi igitur veram cauſam, cur juxta opinionem Originis *Dæmon ducebat eas*: (Ne ſcilicet (reſpondet Joſephus Hebræus apud Joſeph Spera punc. 125. ex tot mortibus, mortem conciperent, qua concepta converterentur.)

5. Mirum eſt, quam diverſimode ſeſe Filius Dei habuerit in nonnullis operibus non minus myſticis, quàm miraculoſis. Etenim Joannis cap. 8. mulier quædam Chriſto Domino præſentata & accuſata fuerat, quaſi ſextum præceptum negativum, quod Deus populo inviolabiliter obſervandum tradiderat, nimirũ: *Non mœchaberis*, Exod. 20. prævaricata fuiſſet, unde accuſatores ejus eã lapidandam eſſe cenſebant: *Magiſter hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio: In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidari.* Joan. 8. Pientiſſimus autem Judex eam ab omni ſcelere de quo accuſata fuerat abſolvit, & liberã abire permiſit, hoc tantum ei firmiter impreſſo monito, ſcilicet; *Vade & jam amplius noli peccare,*

Hoc

Hoc igitur inprimis, ô Auditores, in bona me-
moria tenete. Porrò alia quadam vice etiam con-
tigit, quod Chriſtus Salvator noſter in die quo-
dam feſtivo, qui ab Hebræis ſumma cum ſolem-
nitate agebatur, ad locum quendam qui Hebrai-
cè Bethſaida appellatur accedens, multos ibi inve-
niſſet infirmos, qui utpote ſanitatis recuperandæ
cupidiſſimi temporis opportunitatem ſumma cũ
patientia præſtolabantur, qua ſalutiferas illas a-
quas ingredi & curari poſſent, quorum unus erat
graviſſima paralyſi ad triginta ſolidos & conti-
nuos annos obnoxius, cujus miſerabili ſtatui cœ-
leſtis medicus compatiens dexteram ſuã ad eum
extendit, cumque per manum apprehenſum in
pedes ſuſtulit, & poſtquam membra ejus conſo-
lidaſſet, eique imperaſſet ut ſublato grabato ſuo
abiret, idẽ quod prædictæ mulieri monitum de-
dit dicens: *Ecce ſanus factus es jam noli peccare.*
Joan. 5. Obſervandum eſt inſuper quod quando
filium viduæ intra portas urbis Naimiticæ à
mortuis ſuſcitavit, nec non & Lazarum fratrem
Marthæ & Mariæ Magdalenæ, è ſepulchro ad
vitam revocavit, neutrum horum commonuerit
ne deinceps amplius peccaret, ſed illi ſolum dixe-
rit: *Adoleſcens tibi dico ſurge*, Joan 11. huic verò:
*Lazare veni foras*: Verumenimverò cur non ſin-
gulis hiſce reſuſcitatis æquè ac paralytico illi &
mulieri adulteræ dixit *Noli amplius peccare*? E-
tenim ideò factum eſſe exiſtimo, quia moni-
tum illud illis datum ſuperfluum fuiſſet, his verò
neceſſarium, quia cum hi nunquam per experi-
entiam comprobaſſent quid mors ſit, facilè in
priſtina peccata ſua reincidere potuiſſent: Filius
autem viduæ & Lazarus, qui jam mortis acerbi-
tatem & horrorem actualiter deguſtarant, nulla
ratione hoc monito: *Noli amplius peccare* opus
habebant, ſiquidem mortis perpeſſæ imaginem
memoriæ ſuæ vivaciter impreſſam ubique cir-
cumferebant, quæ illos ſufficienter à recidivatio-
ne peccati arcebat: (Equidem redibant iſti ex ſe-
pulchro ad lucem mortalium, experti fuerunt
mortis pharetram & ſagittas: fuit autem tam po-
tens magiſtra hæc mortis experientia, ejus tam
efficax doctrina, ut quamquam brevi apud eam
commorati fuerint, tàm periti evaſerint, quos in-
ſtruere Chriſto opus non fuerat.] Ita Paulus
Scherlog. Antiloq. 6. ſect. 11.

6. Sanctus Paulus Epiſtolam quandam ad Ro-
manos exaravit, cujus ſeries in eo præcipuè con-
ſiſtebat, quod eos hortaretur ut in gratia Dei
conſtanter perſiſterent, & non peccarent. *Non
regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut o-
bediatis concupiſcentiis ejus.* Rom. 6. Verum ô
S. Paule, ſatis jam notum eſt Romanis corpus
humanum mortale eſſe, atque ideò ſuffeciſſet,
ſi tantum ſcripſiſſes: *Non regnet peccatum in cor-
pore veſtro.* Quis enim adeò rudis eſt & ignarus
ut neſciat, quod corpora noſtra non ſint ex in-
corruptibili quodam temperamento compoſita?
Ignis eo ipſo quo ignis eſt, calidus ſit oportet;
ita quoque corpus noſtrum, eo ipſo quo corpus
humanum eſt, neceſſario erit mortale. Eſtque
idipſum adeò certum, ut meritò vanitas ſit idi-
pſum ulterius dilucidare velle. Porrò S. Am-
broſius hæc S. Pauli verba hoc ſenſu explicavit,
dicens: *Mortale ergo dicens corpus totum homi-* *Amb. ib.*
*nem ſignificavit.* S. Anſelmus ſubjungit: *In corpo-* *Anſelm.*
*re mortali dictum eſt, quia in immortali corpore* *ib.*]
*non erit peccatum.* Theophyl. autem hæc verba *Theoph. ib.*
Apoſtoli duobus præcipuè modis intelligi poſſe
exiſtimat: *Cum verò in noſtro mortali corpore, in-
quit, duo prætendit, alterum, quia minus ſtabiles
ſunt corporis voluptates, quippe quod mortale ſit
& non diuturnum: alterum autem nos commo-
nefacit mortalitatem hanc à delicto fuiſſe corpori
inditam.* At verò Ægidius Columna Apoſtolum
ideò expreſſam mortalitatis mentionem feciſſe
opinatur, ut Romanos alliceret ad bonum, atq;
à malo retraheret, quaſi diceret: Vultiſne abſti-
nere à malo? Corpus igitur veſtrum morti ſub-
jectum eſſe conſiderate. O quam vobis hæc
conſideratio ad ingenerandum vobis peccati
horrorem utilis erit! (Sicut ergo cum audivi- *Ægid.*
mus corpus veſtrum, quod nunc eſt mortale, fiet *Collect.*
poſtea immortale allicimur in bonum, ſic cum *20. ibi.*
audivimus quod regnante peccato in nobis cor-
pus noſtrũ exponetur æternæ morti retrahimur à
malo.

7. Refert Joannes Climacus Religioſum
quendam duodecim annis continuis cellæ ſuæ
incluſum, nec interea temporis ab ullo viventi-
um hominum viſum, exercitiis ſpiritualibus con-
tinuo deditum & occupatum fuiſſe, præcipuè
verò in meditatione mortis, quam ſibi ex cranio
capitis humani ob oculos ſemper poſito vivaci-
ter imprimebat. Cumque ad ultimum perve-
niſſet vitæ ſuæ periodum, hoc omnibus & ſin-
gulis ſibi agonizanti aſſiſtentibus ſalutiferum
reliquiſſe documentum dicendo: Credite
mihi ô fratres, in nullum vos unquam pecca-
tum lapſuros eſſe ſi mortem oculis & animo ve- *Io. Clim.*
ſtro ſemper obverſantem habueritis: (Indul- *grad. 6.*
gete mihi; Nemo memoriam mortis noſcens
poterit aliquando peccare) Refert etiam Guiliel-
mus

mus Pariſienſis, quod in Monaſterio Claravallenſi Ordinis Ciſtercienſis, ſemper aperta fuerit in ejus Cæmeterio ſepultura quædam quam Religioſi Monaſterii illius quotidie viſitare conſueverant, non ſolum ut occaſionem ſibi captarent orandi pro animabus Patrum illorum, qui eo in loco ſepulti erant, verum etiam & ſpecialiter quidem, ut ſe quoque tandem morituros eſſe recordarentur, vivacemque ſibi imprimerent mortis imminentis memoriam : (Certe ut fratres dicti Monaſterii, qui ex ordinatione domus habent ſingulis diebus viſitare ipſum cæmeterium orantes pro defunctis fratribus, magis imprimant ſuis mentibus memoriam mortis) Atque ob eandem rationē dicit idemmet ſcriptor ſepulturas vel ſepulchra mortuorum communi nomine monumenta appellari, prouti ex multis ſacræ Scripturæ locis clare ſatis liquet, utpote quæ mentem noſtram continuo hortantur & admonent, ut cautè ſibi caveat à peccatis, animarum noſtrarum ſaluti & cœleſtis gloriæ conſecutioni adeò exitioſis : *Monumentum dicitur, quaſi monens mentem ad memoriam mortis habendam, eo quod nihil ſic revocat hominem à peccato, ſicut mortis memoria.* O utinam homines in hujus puncti conſiderationem firmiter mentes ſuas defigerent, utiq; majori cum cautela ab offenſis quæ adverſus divinæ Majeſtatis honorem adeò temerè committuntur, deſiſterent. Certo etenim certius eſt, quod viverent optimè, & ſanctè morituri eſſent:

*Guilielm. Pariſ. ſer. 6. poſt. 4. Domin. Quadr.*

*Aug. de cura pro mort. agenda c. 4.*

8. Verùmenimverò non loquamur deinceps ampliùs in genere, ſed ad ſpecifica deſcendamus. Quod ſi igitur ſuperbiæ ventus tumidis te velis inflet, anchoræ loco mortis memoriam adhibeas. Et quidem quoad hoc non te pigeat vel ab ipſis brutis ſalutare quoddam documentum grato animo accipere. Satis enim explicari nequit, quanto cum faſtu Pavo plumarum ſuarum rotam explicet, ſiquidem theſaurorum ſuorum aperiens gazam, ſtellaſque quæ in cæruleo aureæ ſuæ chlamydis colore relucent, publicè ſpectandas exhibens, faſtuoſus intendit floridum Aprilem verecundia quadam aſpergere, primoſque elegantiſſimo cœlorum pallio honores eripere: Velut novellus quidam Argus centenos quaque verſum oculos aperit, ad ambitioſæ ſuæ venuſtatis jactandam excellentiam. Singulari cum majeſtate greſſus ſuos movet, ut circumſtantium ſpectatorum ſibi comparet applauſus: vix eum dignatur aſpicere, qui obſtupefactus ejus pulchritudinem attendit. Per proſopopœiam quandam nimis faſtuoſam frontem ſuam elevans videtur quod velut alter quidam Lucifer gloriam ſuam ſuper cœlorum eminentiam ſublimare, ipſaſque cœlorum ſtellas pedibus ſuis conculcare contendat. Denique eouſque ejus ſuperbia pertingere videtur, ut omnes pedibus ſuis advoluto, ſibique humiliter inclinatos videre ambiat : *Pavo inter omnes volucres avis eſt jactabunda : corporis enim forma atque aliis pulchrior eſt, cum ambulat ſeipſum exultans intuetur,* inquit ſanctus Epiphanius in Phyſiol. Mox verò ut oculos in terram veluti illam contemnendo deflectens pedes ſuos intuetur, omninò in diverſam à priori ſpeciem commutatur, faſtum namque omnem demittit, detumeſcit, quo antea inflabatur tumor corporis, caudæ ſuæ rotam modeſtè componit, recolligit plumas, cæruleam auroque diſtinctam chlamydem ſuam contemnit, nec caput jam faſtuosè erigere præſumit, videri ab aliis erubeſcit, ſubducere ſe cuperet, ſed effugium nullum invenit, adeòque ſuperbiam in humilitatem commutans, omnium volucrum ſe viliſſimum fateri videtur, adeò ut totus confuſus nec oculos in ſublime erigere audeat. Diſcant igitur ab hoc animali, mentis ſuæ demittere elationem & faſtum, pedes ſuos, id eſt, finem vitæ ſuæ, mortem videlicet reſpiciendo & conſiderando, ſic enim omnis ſuperbiæ faſtus facile tumeſcet: [Quisquis ergo deſiderat ex bonis corporis vel animæ non inflari nec perire, oculos ad pedes vitæ, ad mortem in quam convertat. ) monet Author quidam modernus Franc. Laba. Ver. Mors propoſ. 3.

9. Audite quæſo qualiter Philippus Macedonum Rex medios inter ſplendores regios conſtitutus omnem ſuperbiæ aditum amputarit: ut enim ne ab animi elatione aliquādo infeſtaretur, uni Epheborum ſuorum præcepit, ut ipſum tec quolibet die hiſce verbis ſalutaret: *Memento hominem te eſſe*, quaſi dicere voluiſſet; Bene recogita ò Philippe Macedonum Monarcha, quod mortalis ſit quiſquis homo inter homines vivit. Qui proinde reſpondere ſolebat: [Homo ſum & quidem mortalis; ut quid ergo ſuperbiam & jactabundus in aliquo gloriabor? ) Porrò mirus eſt ille loquendi modus, quē David Rex obſervat, dum de magnatibus hujus mundi loquitur : *Ego dixi*, inquit, *Dii eſtis, & filii excelſi omnes*, quæ verba S. Greg. exponit: *Dii in Scriptura ſacra ſublimes homines intelliguntur* ; Et tanquā filii excelſi & potentiſſimi Dei. *Æternæ hæreditatis participes erunt & hæredes*, inquit Hugo Card. At verò ſatis mirari

non

non poſſum quod mox ſubjungat: *Vos autem ſicut homines moriemini.* Quo fine de tanta hominis dignitate & præeminentia loquens, mortis quoque mentionem mox facit? Num fortè ne Magnates omnibus ſe imaginabilibus commoditatibus vitæ frui videntes ſe immortales eſſe reputent? Non eſt hæc Prophetæ intentio; ſi tamen illam inveſtigare placet, mementote illius quod Hiſtoriographi de Alexandro referunt. Hic etenim Monatcha tam ob ſuas excellentias, quàm ob reportatas à Dario victorias, apud omnes magna in veneratione erat, & ſalutabatur tanquam Deus, unde & tanquam filius Jovis ab omnibus ambiebat adorari. Quid ergò David faciat, qui Reges divinitatis titulo afficit, dicens: *Ego dixi Dii eſtis*, eoſque Altiſſimi Filios appellat; *Et filii excelſi omnes*? Ne veneno ſuperbiæ ob ſublimes hoſce titulos corripiantur, mortis eis antidotum præſentant, in memoriam illis revocando quod ſint mortales: (Vos autem ſicut homines moriemini, quaſi dicat; Alas demittite, & rotam more pavonum variarum pennarum fulgore conſpicuam deponite, qua Dii eſtis, ſed & Dii mortales.

10. Creditote mihi, ô Auditores, quod ſi Dæmon poſſet aut vellet depoſita ſuperbia ſua humilis fieri, efficacius ad hoc non poſſet invenire medium, quàm (tametſi ſit *ab intrinſeco* immortalis & incorruptibilis) firmam mortis in memoriam ſuam impreſſionem. Id quidem prima facie vobis paradoxum videbitur, verùntamen quendam Scripturæ paſſum primo ponderemus, & poſtea hac ſuper re veſtrum edatis judicium. Matth 4. capite Filius Dei una cum Dæmone in altiſſimi cujuſdam montis verticem conſcendebat, unde oculus luſtrare potuiſſet omnes mundi regiones, ſi earum ſimul videndarum capax fuiſſet; Hoc ſolùm dicere ſufficiat, quod ſacer Evangeliſta dicat, quod tentatór infernalis, abinde: *Oſtendit ei omnia regna mundi*, Matth. 4. ſimul ei dicendo: Ego omnium earum regionum quaſcunque hic à longè vides Dominus proprietarius exiſto, quod ſi genua tua flexeris, meque reverenter adoraveris, omnia hæc quæcunque per circuitum quantumcunque à longè conſpicis, tibi liberaliter donata erunt: Nulla erit Provincia quæ tanquam obediens ſubdita tua, tibi tanquam Domino ſuo haud gravate ſuum non ſit præſtitura homagium, & expenſura tributum, Francia quidem ſua poma, Hiſpania metalla ſua, India aurum, Anglia argentum, Pontus ferrum, Babylonia tapetes & periſtromata ſua, Phænicia purpuras, Flandria Pannos, Syria ſua goſſipia, Arabia ſuos odores, Æthiopia ambras ſive ſuccinnos & ebur ſuum, Africa blada ſua, Sicilia triticum, Calabria armenta ſua, Cyprus ſuos pulveres, Creta vina ſua, Samus vaſa ſua. Numidia marmora, Inſulæ fortunatæ ſuas aves, Mundus novus ingentes ſuas divitias; Deniq; Oceanus ipſemet margaritas & corallos ſuos offerent: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* O ſcelerate! Ergone vis ut Paradiſus ad inferni pedes ſeſe proſternat? Ut Deus tibi viliſſimæ creaturæ ſuæ ſeſé inclinet, & coram te humiliatus te ſupplex adoret? O inaudita ſuperbia! Sacri Evangeliſtæ Matthæus, Marcus & Lucas è contra factum aliquod referunt ab hoc diverſiſſimum, & huic diametro oppoſitum. *Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.* Scribunt enim quod poſtquam Salvator noſter è navi in Geraſenorum regionem exſcendiſſet, obvium habuerit Dæmonem quendam qui corpus miſeri cujuſdam hominis obſidebat: *Et cùm egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat Dæmonium*, inquit Sanctus Lucas. Hic autem Dæmon Domino occurrens ad ejus ſe pedes proſtravit: *Procidit ante illum*, eumque per actum reverentiæ licet extrinſecè adoravit, *Cucurrit & adoravit eum*, idque ut dicit Dionyſius Carthuſianus *non amore boni, ſed timore gravioris ſupplicii.* *Dionyſ. Carth. in c. 8. Luc. art. 21.* Conferamus nunc quæſo præſentem Scripturæ locum, cum alio paulò ante adducto: Superius in monte cum Chriſto loquens Dæmon volebat, ut Chriſtus ſeſe ad pedes ſuos venerabundus proſterneret: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me.* Hic autem in terram ad pedes Chriſti advolutus eſſe cernitur: *Procidit ante illum:* Antea volebat adorari, *ſi cadens adoraveris me.*: nunc demum adorat, licet timore adactus, *Adoravit.* Antea ſe ſuperbiæ vento tumidum exhibebat: nunc verò ab humilitatis impulſu mortificatum oſtendit: Quænam hujuſce in Dæmone tam ſubitò factæ metamorphoſeos cauſa extitit; Indicant eam haud obſcurè ſacri Evangeliſtæ, ſpeciatim verò S. Lucas dicens: *Neque in domo manebat, ſed in monumentis*; Luc. 8. quaſi funeſtæ illæ mortuorum tumbæ, ibique deliteſcentia & diſperſa cadaverum crania & oſſa eum ad deteſtandam ſuperbiam permoviſſent, ejuſq; mens è tali monumento ad amplectendam humilitatem fuiſſet perſuaſa. Tangit punctum iſtud S. Petrus Chryſologus, dum Dæmonem hunc in

*Petrus Chryſol. ſerm, 17.*

in modum interrogat: *Quid eſt Diabole, quem trina tentatione provocas ad lapſum. quem promiſſione regni, ut adoraret ſubdolus ambiebas, nunc tremens & miſerandus prolaberis, adoras?* Portò ſanctus ſupradictus hanc mutationem ſolum adſcribit moræ quam Dæmon aliquamdiu in monumẽto illo protraxiſſe ſcribitur: *Ecce qui honores omnes regni promittebat & gloriæ, habitare fœtidis corruptione cadaveris reperitur in tumulis.* Quod ſi igitur Dæmon tametſi is in ſuperbia ſit inflexibilis & obſtinatus, illam tamen deponit & ſub vexillo humilitatis deinceps militare ſtatuit ex eo ſolùm, quod mortis imaginem ob oculos ſibi ſtatuerit, quantò magis homo, cujus voluntas flexibilis eſt atque mutabilis, ſuperbiæ faſtum deteſtabitur & humilitati devotus fiet, ſi mortis conſiderationem ſeria mente agitaverit?

11. Verum enimverò quid ſuperbiam ſupplantaſſe juvabit, ſi mox in ejus locum in corde tuo avaritia accendatur? At verò cura ut temetipſum per mortis memoriam præpares, ſic enim nebulam hanc ſenſim & paulatim velut à vento diſſipari facies. Semiramis Babyloniæ Regina morti proxima, in frigidum ſepulchri ſui marmor hanc inſcriptionem incidi aut exſculpi præcepit: *Quicunque ex Regibus pecuniæ inopiam ſenſerit, conditorio recluſo ſumat inde, quidquid viſum fuerit.* Poſt multos annos autem Darius Ægypti Regnum adeptus, Babyloniæ quoque confinia penetravit, ubi cum omni induſtria & exactiſſima diligentia omnia civitatis illius ſubterranea loca explorari fecit, in quibus Semiramidem theſauros ſuos repoſuiſſe credebat. Tandem verò poſt multos adhibitos labores urnam illam caſualiter invenit, in qua oſſa prædictæ Reginæ recondita erant; moxque greſſum firmans ſubſtitit, ſuaſque cogitationes ad hanc ſepulchri ſui inſcriptionem deflectens, illos ſe theſauros inveniſſe opinabatur, quos tanta cum aviditate requiſierat. Tumbam itaque illam mox aperiri fecit, intra quam cùm nil præterquam Semiramidis oſſa inveniſſet, graviter hic Perſarum Rex deluſus remanſit; unde demiſſo vultu, inclinata fronte; ſupercilia velut admirabũdus erigendo in profundum quoddam ſeſe demiſit ſilentium. Demum verò reſumpto ſpiritu in has ferè voces erupit: Hæccine eſt venuſtiſſimus ille Semiramidis vultus qui ſedes erat gratiarum, majeſtatis theatrum, & metropolis omnis pulchritudinis? Hæccine eſt mulier illa famoſa quæ imperii ſui majeſtate omnes Magnates reddebat attonitos, quæ tremere & trepidare faciebat generoſiſſimos athletas, obmuteſcere facundiſſimos Oratores, ſapientiſſimosque qui eo tempore reperiri poterant Philoſophos hæſitare? Hæccine illa Amazonum invictiſſima, quæ chalybe obarmata, ſcuto & haſta ſua invictiſſimorum athletarum tumidum faſtũm refrænavit, formidabiliſſimorum exercituum auſum dejecit, ſuperbia iis vexilla eripuit, in ditiſſima eorundem ſpolia involavit, quæ glorioſas de victoribus victorias perſæpè retulit, integraque regna & Provincias ſuæ coronæ tributarias effecit? Hæccine aliud poſt ſe memoriale non reliquit præter olida & obſoleta hæc oſſa? Quid tibi nunc, ô Semiramis, non ſolùm unius Regni Reginam, ſed & tot mundorum, quot ſomniavit Democritus Imperatricem fuiſſe profuit, tot theſaurorum divitem & opulentam, quot in campis Corinthiacis à vaſtatoribus Mummii vel ex antiqua Crœſi tumba, à Zantho fuêre excerptis? Veruntamen quid de ipſa loquor? *Ita ipſum ſubjunxiſſe mihi nunc perſuadeo,* cur non mihimetipſi mortem meam aureis laqueis ſemper victam & com in theſauris ſepultum impropero? Apage à me ſitis, ô avara deſideria, evaneſcite à pectore meo cupiditates inſatiabiles, & in hac tumba ſepeliamini, hic vos inter hujuſce illuſtris mulieris cineres derelinquo. O theſauri fallaces in fortuna quadam vitrea radicati vos exhorreſco & deteſtor, & quia ut jam experior illuditis ei qui vos æſtimat; ſævitis in eum qui idoli loco vos habet, ideò ex nunc ſacro me jurejurando obſtringo, futurum deinceps, ut memoria veſtri mihi futura ſit abominabilis, vos ſuſpectos habebo tanquam fallaces, contemnam vos tanquam fugaces, quantoque vos ſum amore proſecutus, tantò vos odio averſabor. Et quidem quid potuiſſet amplius dicere vel facere, ſi Chriſtianus fuiſſet, aut hãc fortunam habuiſſet, quod oculis ipſius à ſancta Matre Eccleſia juvenis ille Evangelicus in feretro ad ſepulchrum deferendus fuiſſet expoſitus: *Ecce defunctus efferebatur,* nunc autem ſolas illas vidit mortis reliquias, eaque tantum verba legit, quæ intra tumbam Semiramidis deſcripta continebantur, videlicet: *Nimalus vir fores, & pecuniæ prorſus inexplebilis, non utique mortuorum loculos moveres.* Sicq; inexplebilis ejus aviditas ab imagine mortis deluſa fuit: *Exprobratione lepida in ſacram auri famem.* Futurum mihi utique perſuadeo

*Cal. Rod. l. 23. lect. antiq. c. 5.*

quod

quod quiſquis ad mortem ſuo tempore obeundam ſeſe reflecteret, diceretque moriendum mihi eſt, in hoc totum ſuum adhibiturus eſſet conatum, ut merita meritis, non verò theſauros theſauris accumularet.

12. Corda noſtra ſunt velut eſca ignis ſenſualium noſtrarum concupiſcentiarum pro quibus extinguendis nullum eſt efficacius remedium, quam ſic conſideratio mortis: *Nihil ſic ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quàm ut unuſquiſque hoc quod unum diligit, quaſi ſi mortuum ſit penſet.* Divus Gregorius in moral. Erat porrò Moyſes centum viginti annorum, quando Deo complacuit ut vitæ ſuæ curſum in monte Nebo terminaret; In hoc igitur loco magnus hic Dei ſervus vitæ ſuæ periodum clauſit, fueruntque ei ibidem tales tamque ſolemnes celebratæ exequiæ, quales tanti Herois merita expoſtulabant. Veruntamen poſtea Deus corpus ſuum ab Angelis in valle Moab ex oppoſito templi idolo Phogor dedicati ſepeliri voluit: *Sepelivit eum in valle terra Moab contra Phogor.* Nequaquam mihi perſuadere poſſum oſſa ſancti hujus Iſraëlitici Ducis caſualiter & ſine myſterio juſſu Divinæ Majeſtatis ex oppoſito templi hujus ſepulta fuiſſe. Et quidem quia ut opinatur Procopius in hoc templo mulieres Moabitides congregabantur, ad quas Hebræi pulchritudine earum capti accurebant, ab iiſdemque contaminabantur, atque ideò templum iſtud idolo Phogor dedicatum erat, qui apud eos colebatur tanquam Deus libidinis. Ut igitur Deus libidinoſarum gentium illarum curſum reprimeret, Moyſes ante fores templi illius ſepeliri voluit, ut pedibus ſuper illo ambulantes, in illudque reſpicientes ad hoc ſeſe funebre monumẽtum reflecterent, & conſiderando quod & ipſi ſuo tempore poſtquam mortui eſſent, ſicut cadaver Moyſis, ſepeliri deberent, greſſus ſuos à prophano templo iſto averterent, nec amplius illud pro adimplenda & ſatianda effræni libidine ſua ingrederentur: Ac proinde *ſepelivit eum in valle terra Moab contra Phagor*, inquit Procopius, *ut impoſturam idoli illius franaret: Colebant ibi idolum libidinis: fiat ibi ſepulchrum Moyſis,* inquit Deus, *ut mors coerceret libidinem, nihil enim efficacius mortis memoria: mors enim ob oculos poſita compeſcit luxuriam.* Ponamus enim eſſe juvenem quendam diſſolutum, carnalibus idoli Phogor voluptatibus penitus deditum, & ſordidæ Veneris haræ immiſſum, cui ab hiſce ſordibus divertendo & avellendo nequicquam juvent ſive ſancta Religioſorum monita, ſive minæ Patris, ſive timor Dei mente apprehenſus, nec burſæ ſive ſubſtantiæ ſuæ diſpendium, nec periculum vitæ: ſi tamen tale Veneris mancipium infirmitate corruptum lecto affigatur, & cum febrilibus ardoribus, qui mortis prodromi ſunt, confligetur, tandem verò ſe ex illa indiſpoſitione mori forſitan poſſe conſideret, phanthaſiæ illæ libidinoſæ ab ejus mente mox evaneſcunt, familiaritates deteſtatur infames & lubricas, Deoque firmiter promittit, ut ſi ab ejus providentia diuturnioris vitæ gratiam obtinere poſſit, deinceps caſte vivere, idolumque Phogor, quod præteritis vitæ ſuæ temporibus voluntati ejus prædominatum fuerat, in abominatione peſſima habere velit. Unde Sanctus Iſidorus ait: (Aſſidua memoria mortis prodeſt ad deprimenda carnalia deſideria, & ad abigendas tentationes varias & diverſas, quæ ſeparant animam à Deo; nihil enim tantùm valet ad domanda deſideria, quantùm cogitare qualis ſit ipſa futura mors. D. Iſi. lib. 5. mora.

13. Verùm enimverò dices fortaſsè: ad me quod attinet, fatendum eſt quod plus à furore Martis, quam ab incentivis Veneris divexer: Nonnunquam enim iracundiæ flammas in corde meo accendi ſentio, quibus miſerè agitatus ad vindictam de inimico ſumendam fortiter urgeor, & quantumvis omnem ad reſiſtendum huic paſſioni adhibeam conatum, magnam tamen in ejus compreſſione animadverto difficultatem: putareſne ad hanc paſſionem ſedandam, utilem quoque in tali momento futuram mortis memoriam: Quis dubitat? Frequentes etenim hujuſce rei aliàs viſæ ſunt experientiæ. Etenim unicuique in ſacra Hiſtoria nonnihil verſato manifeſta ſatis eſt, quæ Davidem inter & Saulem interceſſit inimicitia. Saul namque Rex Davidi vitam eripere omnibus modis tentabat: quot enim non eſt ei dolos machinatus? quot ei non ſtruxit inſidias, quæ tamen omnes Deo Davidem protegente vanæ fuerunt & irritæ. Imò factum eſt, quod cùm David unà cum Abiſai Saulis caſtra ſecretè pertranſirent, regiumque Saulis tentorium ingrederentur, adverſarium ſuum in eo profundè dormientem invenerint: *Venerunt ergò David & Abiſai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentẽ & dormientem in tentorio.* Primo Reg. vigeſimo ſexto. O quanta eſt hæc Da-

vidis fortuna? Invenire inimicum ſuum profun-
do ſomno ſepultum! nunc eum abſque ullo im-
pedimento interficere, deque eo pro libitu ſuo
vindictam ſumere poteſt. Agedum igitur, ô
David, noli tam pulchram occaſionem perdere,
ferrum fortiter apprehende, & ſtringe, tuumque
inimicum ocius interfice. Quando enim for-
tunam tibi faventiorem habuiſti, quàm in præ-
ſenti momento habeas? Ambiguusne hæres &
anceps? quid formidas? Non eſt hic tardandum
dum adeſt occaſio, ſerviendum eſt tempori &
præſenti occaſioni: Ipſe etenim leniter dor-
mit, ſi expergiſcatur è præſente, deſperata eſt res
tua, ſi audierit te, mortis filius utique cenſeberis.
Saltem ad minus Abiſai præcipito, ut is eum
juguletatque transfigat, nunquid enim ipſum
ad hoc intrepido & generoſo animo ſe offeren-
tem audis: *Concluſit Deus inimicum tuum hodie
in manus tuas: nunc ergò perfodiam eum lancea
in terra ſemel, & ſecundo opus non erit.* David
autem idipſum nequaquam permittere voluit,
quin potius omni iracundia depoſitâ, benignè
ſe ergà Saulem habuit, hoc ſolo contentus,
quod haſtam & ſcyphum propè à capite conſi-
ſtentem ſecum tolleret. Verum enimverò
quiſnam hic *Lapis Philoſophorum* fuit, qui ira-
cundiæ ferrum in conſuetudinis aurum ita ſu-
bitò transformare potuit? Nullus profectò a-
lius, quàm ſomnus qui imago eſt mortis: *Som-
nus eſt imago mortis.* Somnus iſte vim habuit ex-
pergefaciendi Davidem quendam ad conſide-
rationem ſuæ mortalitatis, atque ideò ſiſtit &
figit greſſum, nec ultra ad vitam eripiendam
progreditur, manum ferro non adhibet, multò
minus hoſtem ſuum occidere tentat. Quid
*Chryſoſt. hom. de Davide & Saulo.* mirum, inquit Chryſoſtomus, *Conſpiciebat illum
dormientem, ac de morte omnibus communi phi-
loſophabatur, ſomnus nil aliud eſt, quàm mors
temporaria, & unius diei interitus.* Poſſem e-
quidem idipſum per alia peccata mortalia diſ-
currendo demonſtrare, ab hoc tamen ſuperſe-
deo, ne generem faſtidium: vos ipſimet hujuſ-
ce rei experientiam facite, ſic enim eundem e-
venire effectum videbitis. Hoc tamen ſub-
jungo, quod quiſquis mortem meditando à
peccatis nequaquam abſtinet, tanquam homo
cenſendus ſit perditus & deſperatus. Pro cu-
jus veritatis ſpecimine habendo veſtras mecum
cogitationes ad actiones Judæ deflectite.

14. Quando Filio Dei in domo Simonis le-
proſi menſæ accumbente Magdalena ad pedes
ejus ſe recepit, ejuſque ſacratum verticem pre-
tioſo unguento perfudit, impius ille apoſtata
intra ſemetipſum murmurare & obloqui cœ-
pit, Magdalenam ejuſque Magiſtrum culpan-
do, ob hoc unguentum adeò copioſè effuſum,
eò quod illud vendi, & inde comparatam pe-
cuniam pauperibus diſtribui poſſe prætenderet:
*Vt quid perditio hæc? potuit enim iſtud venundari
multo, & dari pauperibus.* Quod advertens
Chriſtus, ut eum ab hoc errore revocaret, & re-
ſipiſcere faceret, hiſce verbis eſt allocutus: *Mit-
tens enim hæc, unguentum hoc in corpus meum
ad ſepeliendum me fecit.* Quomodo hic ſibi in-
vicem quadrant, & conveniunt murmur Ju-
dæ, & ſepultura Chriſti: *Sepulchrum & mortem
commemoraverat.* inquit Sanctus Chryſoſto-
mus, Unde non alio fine hiſce eum verbis al-
locutus eſt, quàm ut oculus ejus mortis obje-
cta proponendo, experiretur an poſſibile eſſet
ut à malo ipſum diverteret, maximè cùm ut
eum in finem aliàs adhibita media & auxilia,
nullum poſt ſe effectum reliquiſſent. Verùm
quid tandem factum eſt? Audite: *Tunc abiit
unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes,
ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vul-
tis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Quid-
nam hoc loco Adverbium illud *Tunc* ſignificat?
nimirum idem eſt, ac ſi diceret, eo ipſo momen-
to quo Chriſtus illi mortis remedium adhibe-
bat, ipſe ab errore ſuo minimè reſipuit, nec
quicquam ſe emendavit, ſed ſubitò ad com-
plendam Magiſtri ſui infamem traditionem
abivit; ac proinde Medicos imitari debemus,
qui poſtquam infirmis irrito prorſus affectu po-
tentiſſima adhibuerunt remedia, infirmum ta-
lem pro deſperato habere ſolent. Aut cum Pau-
lo de Palatio reſponderi poteſt, quod *Tunc abiit,
id eſt, abire permiſſus unus de duodecim ad ſum-
mum omnium ſcelerum, & ſæculorum facinus
perpetrandum.* Quaſi Evangeliſta inferre vel-
let; Ex quo ipſa quoque Judæ applicata mor-
tis memoria eum ab impietate ſua convertere
non potuit, nullum aliud ſupereſt applicabile
remedium, ſed omnis deinceps ſalutis ſuæ ſpes
cenſeri debet deſperata. Tunc abiit, ac proinde
frænum collo ejus injiciatur, & tanquam per-
ditus & deſperatus abire permittatur: *Tunc iſtud
ad quod tempus relatum eſt?* Interrogat Chry-
ſoſtomus: *Quando iſta locutus eſſet, quando ad
ſepulturam dixit, & neque hinc compunctus eſt.*
Sed quod tandem? Idemmet Chryſoſtomus
ſuper eundem locum dicit: *In profundiſſimum
malorum barathrum ex hac ægritudine præcipita-*

tur

*tus eſt.* Enimverò quod ſi fulmina mortis, cor peccatoris alicujus pungere & compungere non poſſint, nihil aliud circa illum faciendum aut dicendum ſupereſt, quam *actum eſt de illo.* Cùm ex ſententia Hippocratis certiſſimum ſit: ſi *quæ ſolent prodeſſe non proſunt, mortali.*

15. Econtra verò facillimum eſſe exiſtimo, quod bene vivant, moriantur ſanctè & ſalventur omnes, quotquot mortem memoriæ ſuæ impreſſam habent; prouti ex viſione quadam Ezechielis expreſsè deducitur. In urbe namque Hieroſolymitana, quotquot in fronte ſigno *Tau* ſignati erant, infallibiliter cenſebantur à percutiente Angelo ſalvi manſuri, cum tamen èconrra infallibiliter perituri eſſent, quotquot erant eodem deſtituti: *Senem, adoleſcentulum, & virginem parvulum & mulieres interficite uſque ad internecionem: omnem autem ſuper quem videritis Tau ne occidatis.* Enimverò myſterium iſtud intelligere haud quaquam poterimus, niſi ſignificatum hujus literæ *Tau* inveſtigaverimus. Eſt igitur litera hæc ultima totius alphabeti Hebræi, à qua nobis ultimus vitæ noſtræ finis, id eſt, mors repræſentari cenſetur. Ac proinde Spiritus ſanctus Ezechieli Prophetæ indicare voluit, in ſalutis ſecuro ſtatu conſtitutos eſſe eos, qui *Tau* mortis menti ſuæ habent impreſſum, cùm tamen è contra qui nullum hujus literæ portant veſtigium in certo ſint ſtatu æternæ perditionis: *ſalutem conſecuturi jubentur ſignati Tau, quæ eſt litera finalis alphabethi Hebræi, quo ſignificatur, omnes, qui mortis memoriam habent, ſalvandos, cæteros verò interficiendos.* Ac proinde ſanctus quidam Eremita moribundus, omnibus circumſtantibus mœſtitia & dolore plenis & flentibus, ſolus vultum exhibebat tranquillum, lætum, ac ridentem, quod omnes vehementer demirati lætitiæ hujus cauſam eum interrogarunt, quibus ille promptè reſpondit: *Tranquillus nunc ſum, quoniam ſæpè conſideratione hanc viam inambulavi, ſæpè mortuus ſum, & ideò nihil novi nunc video.* Vixi ſemper in mœſtitia mortis, atque ideò, nunc morior in ſecuritate ſalutis. Cur igitur, ô peccator, mortem à mente tua penitus excludis? O ſi conſiderares, ô mulier, in quemnam deformem ſtatum mors tuam transformatura ſit pulchritudinem, qualiter pretioſos ſuffitus & odores tuos in fœtores, comam auream in putredines, genarum tuarum purpuram in marcidum pallorem; qualiter item caro tua à vermibus devorabitur, oſſa verò manſura ſint nuda & deformia, futuraque ſit horrida immunditiei cloaca, nec jam amplius pretioſis veſtibus, ſed putredine veſtienda ſis. Demum verò qualis futurus ſit animæ tuæ ſtatus tibimetipſi conſiderandum relinquo. Quod ſi itidem tibi, ô avare, tandem moriendum eſt, quid tibi per uſuras comparatæ divitiæ proderunt, tot commercia & lucra illicita & malè acquiſita? O quantam ſtultitiam & mentis veſaniam prodit, qui mentem & animam coinquinat, ut id quod brevi tempore deſerendum eſt acquirere poſſit! Conſidera, quæſo, quod ad ſepulchrum nihil tecum aliud ſis aſportaturus, quàm viliſſimum totius domus linguas ſuas auro argentoque habuere plenas, quantas hæc illis in mortis articulo accerſiverint anguſtias. Profectò ſi loco tuo eſſem, ita mecum ſtatuerem, ac dicerem: Ex quo certò certius moriendum mihi eſt, adhoc ut benè & fœliciter mori valeam, mutare & emendare volo mores meos & vitam, meiſque divitiis cum Philoſopho illo dicerem: *Mergam vos ne mergar à vobis.* *Crates Theban.* O effrænis & diſſoluta juventus, quæ tota liter dedita es carnis & mundi hujus voluptatibus & delitiis, in hoc Evangelico juvene velut in ſpeculo quodam temetipſum reſpice & agnoſce, hoc enim fine à ſancta Matre Eccleſia tibi ob oculos proponitur hiſce verbis: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ*; Memento te hodie conſiſtere in figura, qui mane extinctus jacebis in ſepultura: Nunquid vides te florem eſſe mane natum, in cunis, veſperi autem exſanguem in feretrum deponendum? quem guſtum nunc habes ex tot vanis delitiis quibus ſuperioribus annis cum offenſa Dei fruebaris? nullum prorſus. Quamnam in morte conſolationem exinde ſenties, quod ab hodierno die uſque ad finem vitæ tuæ effræni libidini tuæ omnem licentiam indulſeris? Nullam prorſus, imò magnam inde in morte confuſionem & tormentum experieris. In hunc vel ſimilem modum optarem quod tu ô juvenis & peccator intra temetipſum ſæpenumero diſcurreres. Sic enim moriendum tibi eſſe conſiderans, viveres benè & melius morereris. Interim Eleemoſynam pauperibus largiamini, utpote quos vobis ardentiſſimo charitatis affectu commendatos eſſe velim.

## PARS SECUNDA.

16. NOli flere, Vidua hæc ob mortem filii ſui, qui pretioſiſſima ei gemma erat, quam in hoc mundo unquam poſſederat, inconſolabi-

liter plorabat. Dominus autem eidem fletum ut coerceret, triſtitiæque modum ut poneret præcepit dicens: *Noli flere.* Cur ita? Num forte ideò

*Macrob. de ſomn. Scip. l. 2. co. 1.*

viduam hanc flere vetuit, quia ut ſcribit Macrobius: *Mortuos ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt perſuaſione hac, quia poſt corpus animæ ad originem dulcedinis muſicæ, id eſt, ad cælum redire creduntur?* Thraces plorare ſolebant, quando homines naſcebantur, è contra verò quando moriebantur lætitia & jubilus apud omnes ſeſe

*Ambr. de fide Reſurrect.*

prodebat; Et ratio eſt, ſecundùm S. Ambroſium, quia quando homo naſcitur, in miſerias, & ærumnas præcipitatur: in morte verò omnia hujus vitæ mala ceſſant: *Filios recens natos lachrymis, mortuos verò epulis proſequebantur,* inquit Herodotus. Albertus autem Patavinus exiſtimat, quod dixerit: *Noli flere, quia non mors carnis, ſed culpa cauſa mortis plangenda, & fletibus diluenda eſt.* Venerabilis Beda dicit Chriſtum dicendo viduæ *Noli flere*, conſolari eam voluiſſe, eo quod confeſtim viſura eſſet filium ſuum à mortuis reſuſcitatum: *Deſine mortuum flere, quem mox vivum reſurgere videbis.* S. Auguſtinus exponit: *Noli flere*, id eſt, *ſi plangis corpus à quo receſſit anima, plange animam à qua receſſit Deus.*

*Lycurg. ap Gilib. lect 24 de civ. Dei.*

Inter alías à Lycurgo promulgatas leges una fuit, qua præcipiebatur ut mortui ſepelirentur inter ramos olivarum. Per hoc inſinuare volens, quod cum arbor illa pacis ſit ſymbolum nullus ea frui incipiat, niſi poſt mortem; atque ideò ſancta Mater Eccleſia ordinavit, ut de mortuis dicatur: *Requieſcant in pace.* Quò igitur quis mortem plangere vellet, ſi pacis miniſtra eſt bajula *Noli flere.* Imò S. Bernardus hiſce eam ſpecioſis titulis & nominibus appellat, dicens, quod ſit *finis laborum, victoriæ conſummatio, & vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis aditus.*

*Bern. Sen. t 3 de calam. Senec. c. 6.*

17. S. Bernardinus Senenſis dicit, quod vel ſermo ſit de morte peccatorum, & hæc defleri debet, quia (eſt mala in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſque duplici contritione.) Mors autem bonorum defleri non debet, quia (eſt bona propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem,) ac proinde de his dicitur: *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* De illis verò *mors peccatorum peſſima* ſecunda Reg. 12. Parvulus quidam & innocens Davidis Regis filiolus febribus æſtuabat, id quod Davidem magno dolore afficiebat, adeò ut ſuper terram jacens ad cibum ſumendum induci minimè potuerit: *Iacuit ſuper terram, nec comedit cibum.* Tandem verò ſeptimo infirmitatis ſuæ die mors illum ex hac vita ſuſtulit: *Accidit die ſeptima ut moreretur.* Quod funeſtum nuntium mortui nuntiantibus accepit, è terra ſe erexit, veſteque nova indutus ad templum pro gratiis Deo agendis ſe recepit, ac tandem ad palatium reverſus ſervis ſuis, ut menſam inſtruerent, præcepit: *Petivit ut ponerent ei panem, & comedit.* Id quod univerſam aulam regiam in maximam admirationem rapuit, ut proinde ei dictum fuerit: *Quis eſt ſermo quem feciſti? propter infantem cum adhuc viveret jejunaſti & flebas, mortuo autem puero ſurrexiſti, & comediſti panem.* Et meritò quidem hæc ei dicebantur, quia eum poſt mortem pueri minimè turbatum, imò lætum & feſtivum eſſe videbant. Quod ſi infans hic puella fuiſſet, res adeò mira non fuiſſet, nunc autem maſculus erat, & tamen *conſolatus eſt David.* Et hæc quidem admiratio magis adaugetur per hoc quod cum mors alterius filii ſui Abſalonis ad regias ejuſdem Davidis aures perveniſſet, ipſe Rex continere lachrymas non potuerit, ſed cor ſibi tranſfigi ſentiens, nullum pro ſui ſolatio invenire potuerit remedium. *Contriſtatus itaque Rex aſcendit cœnaculum portæ & flevit, & ſic loquebatur vadens: Fili mi Abſalon, fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te. Abſalon fili mi, fili mi Abſalon.* Etenim ſi Abſalon filius obediens Davidis, & erga eum gratus & obſequioſus fuiſſet, jam æquum quodammodo cenſeri potuiſſet, quod tantopere ejus mortem deploraret: nunc autem conſtat eum ſemper protervum, rebellem, ingratum & patris inimicum fuiſſe, utpote cui ad adimendam ei coronam, & diripiendum regnum, bellum moverat crudeliſſimum, de cujus proinde morte lætari potius debuiſſet, & deflere potius mortem parvuli, qui in tanta annorum ætatis ſuæ teneritudine moriebatur. Enimverò hujus mortem nequaquam deflevit, eo quod innocens eſſet, & bonorum mors defleri minimè debeat: ob quam eandem rationem Salvator noſter huic viduæ etiam dixit: *Mulier noli flere*: bene tamen Abſalonis mortem amare deflevit, eo quod morte peſſima obierit, quæ ſanguineas meritò lachrymas meretur. Eſtque hæc S Hieronymi expoſitio, dicentis: (Scribitur David juſtè fleviſſe filium parricidam; parvulum, quia ſciebat non peccaſſe, non flevit.) Cujus etiam opinionis S. Ambroſius fuit dum ait: *David filium dilectiſſimum, quem fleverat ægrotantem, non flevit amiſſum, certus infantem ad pacis æternæ beata gaudia tranſlatum;*

*At vero Abſalonem quem inimicum habuerat, mortuum lamentatus eſt, quia divinæ juſtitiæ conſcius deſperavit impio requiem.*

18. Et certè cur deploraretur mors eorum qui in gratia Dei conſtituti hac vita defunguntur: *Non ſunt lugendi fratres noſtri de hoc ſæculo liberati, cum ſciamus non eos amitti ſed præmitti*, dicebat S Cyprianus. Cum Anaxagoræ nuntius quidam quendam filiorum ſuorum mortuum eſſe inſinuaret, nequicquã turbatus eſt, ſed promptè reſpondit: *Sciebam me genuiſſe mortalem.* Pericles duos filios in prælio occubuiſſe audiens, ne vel unicum edidit ſuſpirium vel lachrymæ alicujus ſtillam emiſit. Xenophon quoque filium ſuum in prælio generosè dimicantem occubuiſſe intelligens dixit: *Malle ſe habere filium ſtrenuum quam longævum.* Antigonus filium ſe in bello amiſiſſe percipiens ne minimum quidem doloris ſignum edidit, niſi quod dixerit diſplicere ſibi quod tam glorioſam ſubire mortem tamdiu diſtulerit: *Serius ô fili tam glorioſam mortem obiiſti.* Nullam hi generoſi animi paſſi ſunt perturbationem, eo quod filii eorum benè & fœliciter ac glorioſè mortui eſſent, quod ſpectat bonitatem mundanam & humanam. Quantò igitur minùs fleri debent mortes eorum qui ſanctè in Domino moriuntur? Ac proinde S. Petrus Damianus Epiſtolam quandam ad Hermelinam ſcribendo lachrymas illius cohibebat quas aliàs fudiſſet ob mortem filii ſui, eum à Deo ad curiam cœleſtem translatum eſſe indicans. Cum Joannes Hunniades nobiliſſimus Hungariæ Heros mortuus eſſet, conjux ejus una cum tota ſua familia lugubri ſe veſte induit: Rex autem Uladislaus pullas haſce veſtes eam deponere, & jucundum colorem reaſſumere juſſit, eo quod in morte equitis adeò generoſi, qui tantò cum honore propter amorem Jeſu Chriſti Hungariam intrepide defendens Turcarum ſe potentiæ oppoſuiſſet, jubili potius & exultationis quam mœſtitiæ ſigna edenda eſſe cenſeret.

19. Atque ideò S. Bernardus cadaver & funeralia Gerardi fratris ſui ſiccis oculis aſpexit, imò ipſemet cum ingenti animi conſtantia orationem funebrem in ejus ſepultura declamavit, abſque eo quod in labiis vel minimum notaretur eum in dicendo præpediens ſuſpirium, vel lachrymæ ſtilla manaſſet ab oculis ejus: *Plorantibus aliis, ego ſiccis oculis ſecutus ſum inviſum funus, ſiccis oculis ſteti ad tumulum, quoadusque ritè peracta ſint exequiarum ſolemnia.* Verum dicat hic aliquis; attamen Chriſtus amici ſui Lazari mortem defleviſſe ſcribitur: *Lachrymatus eſt Ieſus.* Mirum id non eſt, reſpondet S. Cyrillus Alexandrinus, quia *Erudit nos Dominus ſuis lachrymis quonam modo charos noſtros vita functos moderatus & lege rationis temperatis lachrymis flere debeamus.* Unde S. Petrus Bleſenſis vult Chriſtũ ideò fleviſſe eũ, nõ quia defunctus erat, ſed quia eum revocabat ad vitã: *Chriſtus non pro morte Lazari, ſed pro ipſius revocatione ad miſerias temporales planxiſſe dicitur & luxiſſe*: quantũ verò attinet ad hoc quod eſt, eum mortuum eſſe, quia vir bonus & ſanctus, gaviſus eſt potius: *Lazarus mortuus eſt & gaudeo.*

S. Cyrill. l. 7. c. 10.

*Petrus Bleſenſis Epiſt.* 174.

20. Tandem veritatem fateri debemus dicendo, mortem quoad ſemetipſam, nec bonam nec malam eſſe, ſed bonæ vel malæ denominationem accipere, juxta bonitatem vel malitiam ejus qui moritur. Sic enim ponamus duos eſſe in carcere vinctos, quorum unus innocens ſit, & alter reus; quod ſi præfecto carceris ad oſtium carceris adveniente illiuſque ſeras & ferramenta reſerante unus illorum contriſtetur & tremat, alter verò exhilaretur & gaudeat, unde id naſci exiſtimas? Nunquid uterque eundem nactus eſt portarium? Nunquid eadem porta eſt per quam egrediuntur, eademque clavis qua carceris janua reſeratur? qua igitur ratione unum & idem agens, unica & eadem actione tam diverſos in his duobus cauſat effectus? vos judicate an cauſam hujus augutando aliquid valeam. Conturbatur itaque reus, quia novit qualiter conſtituta ejus conſcientia; nunquam audit carceri appropinquantem oſtiarium, quin ſemper ipſum ſuſpicetur præſto eſſe carnificem, ad eum morte plectendum ad carcerem miſſum: alter verò qui innocens eſt lætatur & exultat quaſi dicat: Benedictus Deus quis ſcit an ſtrepitus quem audio non excitetur a carceris præfecto, qui ad me è carcere liberandum in procinctu ſit: benedicta ſit hora iſta, verè etenim illum venientem audio. Unde quæſo naſcitur, quod umbra quædam mortis te tremere faciat, maximumque tibi pavorem & terrorem incutiat? mitte manum tuam in ſinum tuũ, conſidera quænam ſit conſcientiæ tuæ conſtitutio, & quam peſſimam vitam duxeris, & videbis mirum non eſſe, quod mors tibi adeò ſit formidabilis & amara? quomodo qui palatum affectũ habet, vini præſtantiam deguſtare poterit? ac proinde ſi malus es, mors tibi peſſima erit, cùm è contra iis qui in timore Dei perſeverantes vitam Chriſtiano nomine dignam duxerint,

xerint,

xerint, mors ſit omninò deſiderabilis & gaudioſa; tales enim ex morte nequicquam terrentur, ſed mortem læto & hilari vultu exſpectantes dicunt cum Apoſtolo : *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Vobiſcum igitur ô probæ & ſanctæ animæ loquitur, voſque ad libenter & ultro citroque moriendum graviter exhortatur S. Baſilius, dum ait : *Ne formidetis mortem, non enim corruptio eſt, ſed vitæ cauſa, non eſt interitus penitus, ſed tranſitus ad honorem.* Et poſtea ſubjungit : *Veſter exitus & hinc deceſſus pretioſus eſt & illuſtris, non omnium hominum ; ſed eorum qui ſanctè & juſtè vitam hanc tranſegerunt.* O quam dulce eſt mori, quam grata mors eſt animæ illius, quæ paradiſum apertum videt, circumdantes eam Angelos Deumque eam ad gloriam dulciter invitantem : Econtra verò quam horrenda & formidabilis eſt mors illius, qui aperiri ſibi videt infernum, condemnantemque ſe Deum & dæmones eum ad tormenta poſtulantes clarè conſpicit. Talis mors ſanguineis eſt lachrymis deploranda, non verò mors bonorum, de qua Chriſtus viduæ dicebat : *Noli flere.* Agedum igitur diſcurſum hunc illis Poetæ dictis concludamus, quibus mortis utriuſque, id eſt, tam juſti, quam peccatoris qualitates pulchrè deſcribit dicens:

*Baſilius in lib. 2. ſ. 115.*

*Mors optanda bonis, malis timenda eſt*
*Illis vitam aliam, his dat inde mortem:*
*Illis lætitiam, his parat dolorem,*
*Æternoque beat bonos Olympo;*
*Æterno cruciat malos ut orco.*

Vos ex duplici hoc mortis genere, alterutrum quod magis vobis placuerit, eligite, & abite in pace.

---

# SERMO XXVII.
# IN FERIAM SEXTAM
## DOMINICÆ QUARTÆ
### QUADRAGESIMÆ.

*Venit Jeſus ad monumentum, erat autem ſpelunca, & lapis erat ei. Ait Jeſus: Tolle lapidem.* Joan. cap. 11.

1. OMnes tam Gentiles quam barbari, quolibet anno diverſa Religionis & pietatis opera circa mortuorum ſuorum ſepulchra atque cadavera exhibere communiter conſueverunt, hoc lugubri cæremoniarum apparatu præſupponentes, opera illa aliquod animabus defunctorum illorum refrigerii genus conciliare. Appianus Alexandrinus magnificentiam exequiarum quas inſtituebant, nec non & victimarum occiſarum copiam ad ſtuporem uſque recenſet : *Cadaver magnificentiſſimis inſtratum veſtibus in altiſſima pyra cremabant, cæſiſque multis hoſtiis tum equites tum pedites per turmas in orbem decurrentes cum armis barbarico more viriatum celebrabant.* Et Suetonius dicit gentiles circa ſepulchra mortuorum ſolemniter anniverſaria celebraſſe per haſtiludia vel equeſtris prælii ſimulachra : *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret.* Pari quoque ratione quanta cum pompa ad tumulum Neoptolemi funeralia celebrata fuerint, clarè ſatis refert Heliodorus, dum ait: *Sepulchrum Neoptolemi pompa circuivit, & tertio Ephebi equis ſunt circumvecti.* Sic quoque feſta funebria quæ Trojanus ille Heros circa militum in prælio occumbentium rogos facere ſolebat, hiſce verſibus à magno Marone deſcribuntur.

*Appian. Alexand. l. de bel. Hiſpan.*

*Ter circum accenſos cuncti fulgentibus armis*
*Decurrere rogos &c.*

Similiter de populis Platenſibus Gregor. Gyraldi ſcribit, quod *manibus peremptorum civium dabant*